



niensis, Sergius Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis, Vellelmus Philbin, ep. Dunensis et Connorensis, Alexander Renard, ep. Versaliensis, Armandus Fares, arch. Catacensis et ep. Squillacensis, Ioannes Velasco, ep. Sciiamensis, Paulus Barrachina Estevan, ep. Oriolensis-Lucentinus, P. Ioseph Buckley, sup. gen. Societatis Mariae, Constantinus Stella, arch. Aquilanus.

Secretarius generalis monuit ut omnes ad sua loca redirent.

Ultimus P. D. Georgius Hakim, arch. Ptolemaidensis, locutus est. Eius sermone expleto, secretarius generalis ex ambone communicavit exitum suffragationum, quae illa die circa emendationes ad cap. I schematis *de sacra Liturgia* peractae fuerant. Omnes emendationes approbatae sunt.

Cum omnes emendationes ad prooemium et ad cap. I schematis *de sacra Liturgia* approbatae essent a Patribus et iam insertae essent suo loco a commissione liturgica, secretarius generalis, de mandato praesidis, quaesivit a Patribus num illis placeret die sequenti suffragium dare de integro prooemio et cap. I. Omnes Patres surgentes annuerunt.

Hora 12,10, reposito S. Evangelii codice, et precibus *Angelus... Agimus...* recitatis, secretarius generalis proximam congregationem generalem die 7 decembris habendam intimavit.

### XXXVI

Congregatio generalis tricesima sexta habita est die 7 decembris, feria VI, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2118 Patres, nempe 64 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 374 archiepiscopi, 1558 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 86 superiores generales.

Missa celebrata est ritu chaldaeo a P. D. Gabriele Ganni, ep. tit. Gargareno, coad. c.i.s. Berytensi Chaldaeorum in Libano. Alumni Collegii Urbaniani de Propaganda Fide exsecuti sunt cantus.

Post Missam P. D. Ioseph Cheikho, arch. Sehnaensis Chaldaeorum, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Facta intimatione: *Exeant omnes*, card. Achilles Liénart, ep. Insulensis, munere primi praesidis fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis ex ambone, proclamato nomine primi praesidis congregationis, annuntiavit hora meridiana coetus sollempniter claudi prece *Angelus...* a Summo Pontifice ope radiophonica recitata, eiusque sermone.

Deinde ex parte praefecti caeremoniarum pontificiarum communicavit sequenti die fore Cappellam Papalem, celebrante card. Paulo



Marella, archipresbytero Basilicae S. Petri, hora 10; die vero dominica 9 decembris, hora 9, canonizationem.

Item annuntiavit distributum iri fasciculum *Ordo servandus...*; libellum continentem commissiones conciliares, iuxta normas Annuarii Pontificii redactum; parvam imaginem S. Ioseph, Patroni Concilii.

Insuper legit nomina Patrum, qui in illa ultima congregatione generali primae periodi loqui postulaverant, et significavit Patres, qui animadversiones circa capita singula constitutionis *de Ecclesia* exarare vellent, eas ad secretariam generalem mittere posse usque ad diem 28 februarii anni 1963.

Tandem annuntiavit suffragationem illa die faciendam circa prooemium et cap. 1 constitutionis *de sacra Liturgia*. Huiusmodi monitum variis linguis (gallica, hispanica, anglica, germanica, arabica) a subsecretariis lectum est.

Postea praeses Patres allocutus est et ad loquendum circa schema *de Ecclesia* ex ordine vocavit: cardd. Franciscum König, arch. Vindobonensem, Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensem; Vincentium Reyes, ep. Boronganensem, Ludovicum de Bazelaire de Ruppierre, arch. Cambericensem, Isaac Ghattas, ep. Thebanum, Alfredum Ancel, ep. tit. Myrinensem, aux. Lugdunensem, Alfredum Silva Santiago, arch. Conceptionis.

Disceptatione per pauca momenta interrupta, secretarius generalis ex ambone communicavit Summi Pontificis adventum in Aulam conciliarem, hora meridiana, et legit exitum suffragationis peractae circa prooemium et cap. I schematis *de sacra Liturgia*, quae approbata sunt.

Adhuc locuti sunt Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis, Hermannus Volk, ep. Moguntinus, P. Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.

Hora 11,45 praeses monuit ut reponeretur S. Evangelium et coetus suspenderetur ad Summum Pontificem exspectandum et excipiendum.

Tum Summus Pontifex in aulam ingressus est et Patres stantes plauserunt.

Prece *Angelus...* recitata, Summus Pontifex Patres allocutus est atque illis benedictionem apostolicam impertivit.